41

81 790

Exemplum libelli de Reformatione Maiestatis S.C.M.^{tis} Ferdinandi ad R.^{mos} patres sacri Concilij Tridentini, quem tamen Legati non presentarunt. Anno 1562

1.

[...]ta de reforma
[...] Pontif.

Primo sanctissimus D. N. Papa pius per sacrum
Concilium exhortandus atque orandus est, ut sicubi forsan
circa S.^{tis} suae personam, statum et curiam suam nonnulla esse
perspexerit, quae emendatione egere videatur, ea in melius re
formari benigne patiatur, tunc etenim S.^{tas} sua maiore cum
authoritate de aliorum erratis iudicare poterit, cum semet
ipsum inculpatum iudicem cunctis exhibuerit, nam eius
modi haec tempora esse videmus, quae iam nunc vitae, mo
rumque integritatem requirant in Praesulibus, praeser
tim ecclesiasticis, ut vix satis esse videatur omnem cuiusuis
flagitiosi criminis culpam vitare, sed etiam ut omnem
(si tamen fieri posset) cuiusuis delicti suspicionem vitare opor
teret; metiuntur etenim hoc eos per sectarios seducti [illegible]
primitivae ecclesiae moris praesentis saeculi. quapropter dubi
um non est quin, Pius Pontifex S.^{mus} D. N. habita ratione
paternae pietatis suae, et infirmitatis in decepto populo om
nem sit rationem initurus, ut si quid tale in Curia sua animad
verterit, quod populum, nationes et caeteras avertere posset, atque
ab amore, obedientia Ap.^{cae} sedis reddere alieniorem, pri
mo quoque tempore emendetur, atque amoveatur, cum hoc prius
Patrem, vel imprimis deceat, qui tam dura legum disciplina,
quam paternae virtutis exemplo, filios suos instituendos, corri
gendos que arbitretur —

AVSA

de Reformat.e Cardinalium

II

Gravis quidem olim fuit, et adhuc est multorum piorum querela quod nimis illa numerosa Card.lium multiplicatio onerosa sit, et parum decora ecclesiae; opes enim ecclesiae a tam multis Cardinalib. exhauriri, nec raro in eum ordinem parum idoneos cooptari, qui offendiculo potius sint, quam necessariis ecclesiae functionibus apti. itaque S. D. N. rogandus est ut hunc statum, si non ad duodenarium Apostolorum, saltem ad duplicatum viginti et quatuor cum duobus supernumerariis Cardinalium numero pro gubernanda universali ecclesia limitare et contrahere dignaretur, prout in Conc.o Basiliensi solemniter constitutum esse perhibetur.

Dispensatio

III

Tametsi vero Romanus Pontifex dispensandi maximam habeat potestatem, praesertim in his quae iuris positivi sunt, tamen animadversum est, quod nonnunquam ex Urbe dispensationes ad exteras nationes adferantur, quae plenae publicis scandalis sunt, quae quae authoritatem Ap.licae sedis non imminuunt tantum, sed dedecorant tamen, efficiuntque tandem ut omnes aliae dispensationes etiam legitime factae vilescant, atque contemnantur, pie itaque Sius S. S. D. N. [illegible] et Rmi Patres in hoc concilio congregati diligenter provideant, ut scandalum hoc ex ecclesia submoveatur, nec in posterum aliquid tale dispensetur, quod aut ipsos sacros Canones sua penitus autoritate orbare, aut offendiculosam aliquam dubitationem ea ista potestate dispensandi indignam prae se ferri videri posset

de exẽptionib. con.a iura

IV

Eadem est ratio de exemptionib. contra iura communia passim concessis. ut scilicet authoritate concilii revocentur omnesque Basilicae et monasteria utriusque sexus, sub illius potestate Episcopi consistant in cuius territorio, [illegible]

AVSA

diœcesi posita sunt. Vt sacri disponunt Canones. 85 791

non retinend. ... ib. beneficiis

V

Etsi autem in superiori Tridentina Synodo saluberrimæ
sanctiones promulgatæ sint de abroganda pluralitate Dignita
tum, et beneficiorum Ecclesiasticorum, de personali residentia,
de incorporationibus, ac congruarum partium assignatione,
et id genus alijs. Videmus tamen hæc statuta hactenus suum
non sortiri effectum, sed plane negligi, potiusque contrarium
fieri, Videmus etenim etiam nunc, Vni non vnum beneficium
conferri, sicuti decretum fuit, sed a singulis etiam plures E-
piscopatus, plures prælaturas, plures Canonicatus, plura denique
Curata beneficia, si non directe, per indirectas tamen malasque qui-
busque artibus impugne impetrari atque teneri, quæ sane dignita-
tum beneficiorumque pluralitas, eorumdemque siue uniones sint,
siue incorporationes, siue reseruationes, siue Commendæ, ac gene-
ris eiusdem similia profecto non extrema causa sunt quod tot pas-
sim hæreses exortæ vagantur, totque schismata Vbique Christiano-
rum gentium Ecclesiam Dei miserabiliter vexant, atque dilacerant;
quia enim nonnulli partim simoniacis artibus pinguiora
Ecclesiarum emolumenta ad se rapiunt, atque ipsa mimiste-
riorum onera in Vicarios inijciunt; fit plane vt mercenarij
ita faciant, quemadmodum de ijs dixit ipse Dominus,
hoc est, quoniam præter conducti laboris mercedem, nihil spec-
tant gregem Domini, Vel negligenter pascunt, Vel omnino obij-
ciunt Lupis, quos non tam ipsi fugiunt, quam cum eis commune
ineunt societatem. Alij qui tamen in tali genere hominum pro-
biores sunt, certe ob tenuitatem adsignatæ mercedis sæpius aut
fame coguntur functionem deserere, aut inuiti sese ad sectarios
conferre, Interea pingues illi Xti simoniaci cauponatores nulla
cura tanguntur commissi gregis, saluus ne sic sit, an pereat, bene
ne, an male pascatur a mercenarijs, nihil id putant ad se pertine-
re, nihilominus sedulo lanam colæ, et si quid pro reserea

AVSA

Emolumenti est avide exposcunt, ut sit unde omni genere
libidinis ac vitiorum copia, et opes queant suppetere. Hinc
defectus ille ministrorum piorum in ecclesia, hinc neglectus et
diminutio praedicationis Verbi Dei, omissio cultus divini, pro
phanatio sacramentorum, desertio ecclesiasticorum officiorum
hinc etiam tantus studiorum, bonarumque literarum, et imprimis sa
crarum contemptus emanavit, ut in universis Germaniae gym
nasiis, nunc vix tot studiosi adolescentes, quot olim in singulis
erant, reperiantur. quis enim plantat vineam, et non cupit fru
ctus eius comedere? quis pascit gregem et lac de grege non
desiderat. qui altari servit, de altari vivat inquit Apostolus.
lus. et Moses non ligabis os bovi trituranti; quid autem nunc
fit? certe per symoniacas artes cunctis studiosis, doctis et viris om
nis aditus ad legitima virtutum praemia praecluditur, quin
pleraeque cathedrae in Germania quasi ex lege constitutum habe
ne ullum habeant in capitulo suo Doctorem, cum iam non solum
docti viri ubi desunt, summis praemiis ut adsint acceri
deberent, sed etiam studiosi adolescentes in diversis ali
academiis, ut deinceps illorum eruditio hisce praesentibus e
cclesiae ruinis opem ferre posset. quamobrem sacri Concilii
fuerit, primum ut antiqui Canones serio renoventur, qui iu
bent singulis singula beneficia conferri, et haec quidem non
nisi idoneis personis, plura autem uni eidemque non idoneo
non vetant solum, sed volebant etiam olim poenis ulcisci = De
inde dent Rmi Patres operam ut secundum decreta Lateranen
Concilii singula collegia, si parva sint parvas scholas, si
magna, magnas erigant, statuantque omnino, nec ullum se
Catholici Cleri seminarium posteritati relicturos esse, nisi sic
singula singulis distribuantur beneficia, ut et Doctores prae
terea complures aliquant, et mediocris multitudo studi
osorum adolescentium pariter sustentari necessariis opibus
ecclesiae. Provideant itaque diligenter ne posthac clerus con
numeretur in caducis ecclesiis, cum hoc negotiationis illicitae
sit, turpisque potius lucri, quam ullius laudabilis mos vene

AVSA

randæ antiquitatis in ecclesia. at denique conductitijs presbiteris non committantur ecclesiæ, sed unaquæque cui facultas suppetit proprium habeat sacerdotium; ideoque ad cavendas technas et fraudes simpliciter statuatur quemlibet Archiepiscopum suo unico et solo Archiepiscopatu, quemlibet Episcopum suo solo Episcopatu, quemlibet Prælatum sua sola prælatura, itidemque Canonicum suo solo canonicatu et Parrochum sua sola parrochia contentum esse debere, cessantibus interea, nec obstantibus iuribus, consuetudinibus, exemptionibus, dispensationibus, incorporationibus, reservationibus et commendis quibuscumque; nisi enim ecclesiasticarum dignitatum et beneficiorum nundinatio prorsus sublata fuerit, singulisque ecclesijs singuli, non quidem mercenarij nec conductitij, sed proprij ministri ad quos proprio iure oves spectent, sine personarum acceptatione, sed solius virtutis dumtaxat, probitatisque, atque eruditionis habita ratione et qui perpetuo residere velint, constituantur, nullam omnino spem esse religionem Catholicam vel conservari, vel instaurari unquam posse, omnesque pij et periti homines Catholici palam profitentur —

VI

de residentia Episcoporum

Cum dignitates et beneficia ecclesiastica dentur propter officia, atque iura statuant canonica Episcopis in locis cathedralium ecclesiarum residere, eaque quæ ordinis et officij sunt Episcopalis per se exercere debere, cumque tamen hæc a pluribus non observari constet, sacrosancta Tridentina Synodus merito rursus vigilare debebit, ut in posterum omnes Episcopi in locis Cathedralium ecclesiarum fixam teneant residentiam, nec quoque temere exspatientur, nisi id suprema exigat necessitas ecclesiæ, nec officium quod suum cuiusque Episcopi proprium est in Vicarios transferant, sed cum Episcopi munus

sit confirmare baptizatos, examinare, atque ordinare in-
tiandos, iudicia ecclesiastica exercere, celebrare Synodos,
Visitare dioeceses, ac si quae eiusdem generis alia, debebant Epis-
copi haec officia tanquam propria et sua non deponere, tri-
cissimque nec imponere Vel suffraganeis, Vel officialibus suis,
sed ipsi omnia haec administrare per se, quod si vero haec om-
nino, siue propter grauiorem aetatem, aduersamque Valetudinem,
siue ob aliqua quadam nimis ardua negotia, siue etiam prop-
ter imperitiam suam obire per se met ipsos non possint, de-
tur opera ne eae functiones Episcopales quibuscumque, sed
hominibus doctis, ac singulari doctrina, industria, atque
probitate praeditis, nec Vnico Vicario, seu officiali quantumuis
idoneo (quemadmodum plerumque solet) totius dioeceseos ad-
ministratio in causis Spiritualibus committatur, sed aliquot
diuersis personis discriminatim, quarum aliae ob aliam
eruditionis commendationem insignes sint, Vt theologis the-
ologica, Canonistis Canonica negotia assignentur, quin et
neglectas passim Visitationes, dioecesanasque Synodos singu-
lis annis haberi mandentur, cum sine his nec Veritas eccle-
siae consistere, nec Vlla disciplina cum populi, tum cleri re-
tineri possit —

VIII.

pro sacram. ni-
hil accipiendo.

Quoniam uero cum ecclesiae passim tam luculenter dotatae
atque fundatae sint, Vt ex earum prouentibus facile pos-
sint omnia onera quae illis imponi consueuerunt, sufferri, cum-
que ab ipsa catholica Ecclesia grauiter sancitum sit mys-
teria Dei gratis absque Vllo pretio dispensari debere
sub excommunicationis poena, magnopere desideran-
dum Videtur Vt horum Canonum antiquus rigor in ec-
clesiam reuocetur, non enim a baptizandis, Vel consig-
nandis fidelibus, non pro chrismate, Vel eucharistia,
non pro conferendis sacris ordinibus, non pro dedicandis
Basilicis, non pro benedictionibus nubentium, non pro

AVSA

Sepultura, non pro exequijs mortuorum, non pro investituris ec-
clesiarum vel alijs id genus spiritualibus, pretia vel praemia
ulla exigenda atque adeo gratiam Spiritus Sancti pro ullo pretio
vendendam esse, canones antiqui vetuerunt, et ipsa ecc.ª M.tas
postulare videtur, non obstante quacumque consuetudine in
contrarium introducta, cum diuturnitas temporis non minuat,
sed augeat peccata, prout haec omnia conciliorum decreta et sa-
cri canones testantur, quorum authoritate iampridem vio-
lata, ceperunt pene omnia sacra et prophana in ecclesia pretio
venire non absque turpissima quaestus avaritia, quapropter
sacri concilij accurata inspectione admodum opus erit, ut haec
ad normam veterum canonum quoad eius fieri potest revocentur,
si quae autem fuerint ecclesiae passim quarum adeo tenues red-
ditus annui sint, ut absque talibus quotidianis emolumentis
ministeria ecclesiastica sustinere nequeant, hae igitur ab opu-
lentioribus ecclesijs sublevandae sunt, ne cum aliae abundent,
aliae squaleant inopia parum aequali conditione virgum Do-
mini supportare cognoscantur, quam ad rem fortasse
non inconsultum crederi posset, si curatis beneficijs quae tenui-
ora sunt, quam ut necessaria ecclesiae munera obire queant,
aliqua non curata beneficia incorporarentur, quandoquidem
alias in compertum sit plerosque hisce beneficijs, quae animarum
curam non habent annexam, pessime abuti solere —

VIII

De simonia

Cum symoniaca haeresis totum ecclesiae corpus ita occupave-
rit, ut morbus ille fere incurabilis videatur; itaque quo
periculosior haec pestis est, eo magis sacro concilio enitendum
erit, ut ab ecc.ª sca quam latissime pellatur, constitutio-
nes quae canonicae quam veteres quam recentiores contra symo-
niam aeditae innoventur, eamdemque transgressores se-
mota omni misericordia severissime puniantur —

IX

De humanis constitutionibus.

Vetus querela est, atque a diversis repetita doctoribus

in nimis magnum excreuisse acerbum humanas Pontificum
et Prælatorum constitutiones, ea hacquidem obligatione promulgatas ut siquis has quoquo modo, vel saltim mediocriter transiliisset, mortalis peccati reus censeretur, unde multorum tales uoces auditæ sunt: de leui iugo Christi, ac de lege libertatis iugum ferreum factum esse, onusque supra modum graue, duriter premens ceruices Christianorum, idque adeo, et ut tolerabilior sit Iudæorum conditio, qui dumtaxat sexcentis (aut circiter legibus) legibus obstringebantur, quam Christianorum qui grauantur infinitis. Inter tot autem tamque diuersas leges uarias quis Christianorum poterit absque perpetuo cordis tremore, et excarnificata conscientia securius versari? deliberent R.mi Patres in concilio an non expediret ut hæc humanarum sanctionum multitudo non nihil contraheretur, resectis abolitisque supernacaneis, anitem recte fiat, cum Prælatis suas constitutiones, quæ iuris positiui sunt, æquet obligationi iuris Diuini —

X.

de excommunicatione.

Quamquam vero sacri Canones prohibent ulla excommunicationis censura in quemque temere, ex quauis leui causa animaduertendum esse, cum sint certa quædam peccatorum genera expressa ob quæ hoc ecclesiæ fulmen eiaculandum censeatur, nihilominus tamen compertum est plerumque leuiusculis de causis, et prophanis quidem: nimirum ut quia decimæ persolutæ non sint, vel quia debitor non soluerit usuram, et similia, non absque maximo offendiculo in miseros homines fulminari solere. Erat autem hic excommunicationis gladius in primitiua ecclesia quadam ueneranda raritate formidabilis, nunc uero per abusum in extremum uenit contemptum. est enim excommunicatio, seu anathema, æternæ mortis damnatio, nec nisi pro mortali crimine imponenda, et illis quidem solummodo, qui aliter corrigi non poterant.

quare infligenda excommuni.

Omnes enim Christiani qui a sacerdotibus excommunicatur

AVSA

Et ab ecclesiastica communione removetur, sathanę, qui
extra ecclesiam est, traditur; Unde et illos, quos Apostolus
Sathanę traditos esse predicat, excommunicatos a se esse
declarat. Erit ergo salubriter per S. concilium inspiciendum
ne Pontifices, aut Prelati, aut alij ecclesiarum guberna
tores hoc terribili excommunicationis gladio extra casum
peccati mortalis, et notorię incorrigibilitati abutantur

XI

de precipitibus ora tionib.

Gravis videtur abusus omnem divinum cultum ridicule
et negligenter sine devotione, et reverentia peragi, tantaque
precipitatione preces effundi ut orantes, seu psalentes
nec ipsos quidem intelligere queant, nedum quod pie et devote
psalant, canantve, expendere; quando id curant unice ut qu
am onus absolvant, quidvis potius, libentius quam facturi
quam hisce divinis officijs studiose animum adiicere,
qui abusus et Deo ingratus est, et multis prebet occasione
ut minus libenter sacris cantionibus intersint, confestim
ex tali contemptu facti ab omnibus ritibus ecclesię
alieniores. Cogitent ergo Rmi Patres modum quem da
eiuscemodi, quo hec vitia corrigi possint, ne videlicet
quę divina sunt, tam leviter precipitentur, adsit devo
tio, adsit animus divinis rebus vacans, et quae cantantur
aut leguntur, pronuncientur apte, distincte, tractim,
quo servetur pia gravitas, ne plus ore, quam corde Deus
coli intelligatur, nec illud propheticum nobis expro
bari queat, hic populus labijs me honorat, cor autem eorum
longe est a me. quid enim prodest strepitus verborum
ubi cor mutum esse apparet

XII

de libris eccl. corrigend.

Cum negari nequeat temporum vitio multa inepta
apochripha, parumque ad sincerum cultum pertinentia

AVSA

incantiones & preces Ecclesia irrepsisse, sacro Concilio enitendum erit Vt libri Missales, Graduales, Antiphonarij, Agenda, & Breuiaria religiose, ac diligenter recognoscantur & repurgentur, Vtque nihil in ecclesia legendum, canendum, orandum, seu populo proponendum permittatur, quod non sit ex diuinis literis desumptum, aut his ecce omnino consentaneum, prout Vel ex S. Patribus, Vel probatis Historijs Ecclesiasticis demonstrari posit, prout antiquis Concilijs cautum esse cognoscitur. Et cum istha precipitatio maxime per preces & cantus plus aequo prolixiores causetur, quibus ad fastidium Vsque amici clerus grauatur, expediret Vti hanc tediosam prolixitatem habito delectu resecari, cum melior sit quinque psalmorum decantatio, cum cordis serenitate, & hilaritate spirituali, quam totius modulatio psalterij cum cordis anxietate, atque tristitia.

XIII.

De lingua Vernacula.

Denique cum imperita Vtriusque sexus populi multitudo in cultus diuini, ac sacramentorum administratione linguae Vernaculae Vsum magnopere Vrgeat: cumque e multorum, tam recentiorum, quam Veterum ecclesiae Doctorum & Scriptorum monumentis Vtique constet eumdem aliquando morem in Vsu ecclesiae fuisse, et etiam nunc alicubi, Vt pote in Regno Franciae, & in Croatia esse, posset hic articulus quoque in Concilio proponi, ac deliberari, an non ecclesia tamquam piissima Mater pro presentis temporis conditione permittendum existimaret, Vt licet alicubi Latinis canticis Vernaculas pure omnino & fideliter Versas intermiscere, suo tamen loco & tempore, et eas salbem, quae populi deuotioni conveniant, neque prophanet diuina illa & arcana sacrorum Bibliorum mysteria.

De cler. perversis moribus —

— XIV.

Dolendum profecto est universum clerum (proh dolor) a semitis et vestigiis Patrum ita non minus degenerasse, ut omnes illorum et vita, et mores, et conversatio antiquis s. Canonum decretis ex diametro adversetur; stat apud clericos omne vitium, in praecipiti, versos scilicet in laqueum tortuosum, et in omnibus locis ponentes scandalum, ut non immerito quaerere et dicere liceat, ubi est Deus clericorum; interim promiscua populi multitudo perniciosis istis offendiculis vehementer exacerbata omnem Catholicae fidei doctrinam ex clericorum vitiis metitur, quasi e fructu arborem aestimans, eoque tandem progressa est impudentia Cleri, ut flagitia quae in laicis publicis poenis vindicantur, ea sibi sacerdotes impune quasi optimo iure licere arbitrentur, cum eorum tamen esset quibus praeesse debeant eos non modo qui eiuscemodi crimina dessignant legibus et doctrina coercere, sed suo etiam honestae vitae exemplo illis praeire, nec talia patranda esse unquam in mentem duxere velint. Quocirca Sacro Concilio cogitandum erit de rationibus quibus Clerus ad vitam puriorem reducatur, ut cum clerici vocentur, hoc est qui sint in sortem Domini electi, id esse quod dicuntur, elaborent tam vita, quam habitu, tam exemplo, quam doctrina, idque re ipsa, non verbis, tandem memores exempla quam verba movere —

— XV.

De statu monastico.

Non minus utriusque sexus status monasticus ab institutis suis admodum graviter degeneravit, quoniam Praelati et Regulares olim orationibus, meditationibus, studiis vel laboribus vacabant, atque in humilitate frugaliter vivebant, et quae ultra necessitatem supererant in pauperes et educationem studiosorum, quo possent ecclesiae Christi

AVSA

De Abbatib.

olim usui esse utiliter expendebant; iam vero quid fit? neq[ue]
ullam rationem divini cultus habent, nec ullam observant
regularis vitae disciplinam. Prelati magna ex parte qui ca-
tholicam Ecclesiam profitentur, corde sunt haereses amplexi
monastica bona surripiunt, coenobia vastant, ut conventuales
habeant non dant operam; et si quos habent, eos sic tractant
ut aut Abbatum fiant in omni genere flagitiorum similes, aut
id non placeat, auferre cogantur abiecto monastico habitu profes-
sionis suae immemores. Unde non raro plene apostasiis crimen
consequitur. Unde itidem et hoc evenire videmus quod in coe-
nobiis etiam opulentissimis, vix unum, aut alterum reperias
monachum, qui vel propter paucitatem confratrum, vel propter
rudem imperitiam peragendo divino cultui sufficere queant, tales
sunt patres familias plerumque illi, qui se ab Episcopali iuris-
dictione exemptos gloriantur. Hi sane loco conventualium
numerosum inutilium servitorum et equorum familiam
ad fastum, et pompam potius quam ad necessitatem nutriunt,
multosque otiosos et vanos faciunt sumptus, omnia vel nimio
suo, cui indulgent, luxui avaritie decoquentes, vel in priva-
tam suorum amicorum, non publicam monasteriorum (ut de-
ceret) utilitatem, convertentes; quae cum veriora sint, quam
ut ulla tergiversatione celari queant, sacro Concilio pensandum
relinquitur, si qua ratione ordo ille monasticus, vel ad primae-
vam illam suam institutionem redintegrari, vel ad mitiores
regulas relaxari, aut aliis legitimis modis et mediis pro-
videri queat, ne tanta monasteriorum bona ac divitiae tam
flagitiose dispensentur, sed in alios aeque pios et ecclesiae Dei
utiles usus deputentur et convertantur. Haec quidem sunt
quae ipsi viri, docti et catholici, in his articulis, qui de refor-
mationis negotio a Rmis Patribus Tridentinis propositi
sunt, ut emmendari clerus possit, et abusus tolli, adii-
cienda putaverant, in quibus licet multa quae in specie
pressius explicari potuissent, praesentarunt. in

AVSA

Genere tamen possunt aliquid eorum admonere, quæ
catervatim gravantur, præsertim in Germania, cæterisque
quæ vicinis provinciis, ac Regnis; nec dubium est quin sua
quæque natio habeat privata quædam et propria vitia, quæ
tamen cuiuscemodi sint, et qualia non aliunde rectius po-
terit quam ab eiusgentis indigenis cognosci. Quid potis-
simum in Clero Germanicæ nationis desideretur, non plene
quidem, at non inutiliter sane poterit animadverti ex ea
Reformationis formula, quam D. Carolus quintus fe. me. quon-
dam proponi Imperii Statibus curavit, extant etiam alia quædam
reformationum exempla ab aliquibus Archiepiscopis Germa-
niæ tentata potius, quam in effectum perducta, quæ non pa-
rum Rmos Patres admonere poterunt, de his quibus Clerus
in Germania laborat ——

de supplone Præ-
latis data

Atque vero quo propius Rmi Patres et clarius intelligere
possint qui in Regnis, ac provinciis S. C. M. næ immediate sub-
iectis status Religionis sit, tam in Clero Regulari, quam in saecu-
lari, operæ pretium fore arbitramur si S. C. M. vestra ipsis fa-
ceret istius supplicis libelli copiam, qui nuper oblatus est nomine
Prælatorum eorum, qui in illa parte Archiducatus Austriæ sunt,
quæ est sita super fluvium Anasum. Ex quo quidem supplice
libello poterunt Rmi Patres manifeste cernere quid S.
C. M. Væ de instauratione Catholicæ religionis, deque corri-
genda disciplina monasteriorum, nisi mature occurratur, spe-
randum sit, quamobrem C. M. Vra Rmos Patres pia qua-
dam intentione summopere hortare, atque obtestare debere
hoc necessarium reformationis opus, ut sibi velint esse cordi
ac si omnino statuere secum nisi Reformationis remedio hisce
miseriis, afflictisque Catholicæ religionis reliquiis mature
subventum fuerit in hisce septentrionalibus provinciis
de universa fide Catholica brevi actum iri. Mora enim
hæc res nullam fert ulteriorem, in foribus periculum est,

AVSA

in ipsa penetralia sese ingesserit, partim solo, partim ma-
nifestavi.

Nec vero propterea quod S. M. V.ra tam ibi tam Cleri refor-
mationem tantopere urget, debent R.mi Patres ullam
concipere suspicionem quasi S. M. V.ra id laboret tantopere
ut Reformationis censura tantum velit vexari Clerum atque
Secularem statum immunem praeterire; nequaquam hanc
esse mentem M. V.rae scimus, quando constet haud paucioribus
statum Secularem, quam Spiritualem vitijs scatere. Quin vero
cum ad huius politici ordinis emendationem res deducta fue-

De persona C. M. reformandi

rit, adeo S. C. M. V.ra neminem praeterire volet, ut nec perso-
nam quidem velit suam exemptam videri, a qua tamquam
a supremo capite initium sumendum statuit; quocirca non
dubitamus quin S. C. M. V. parata sit omnium actionum
suarum rationem reddere, ac si quid forte a se (quae humanae
conditionis fragilitas est) delictum fuerit, id ingenue fateri
velit, ac emendare serio; nec auxiliante Deo ab illo officio
quod pium, quodque Christianum decet Principem
et Catholicum Imperatorem qui se Sanctae Matri Eccl.ae
semper obedientem filium exhibeat recedere velle
numquam cogitavit.